25

DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA

De

SUPPRES-
SIONE MENSIUM

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Authoritate & Conſenſu

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI
ET EXPERIENTISSIMI CELEBERRIMAE
UNIVERSITATIS ARGENTI-
NENSIS
MEDICORUM COLLEGII

PRO
LICENTIA

*Supremisq; in Medicina Honoribus & Privi-
legijs Doctoralibus obtinendis*

SOLENNI CENSURÆ SUBMITTIT

SAMUEL GEIDELIN ARGENTINENSIS.

Ad Diem 9 Menſ. Septembr.

ARGENTORATI
Typis EBERHARDI WELPERI.

ANNO M. DC. LXIII.

VIRIS

NOBILITATE GENERIS, AMPLITUdine & Virtutum Excellentia, Conſiliorum Prudenti Felicitate, per quam Reverenda Dignitate, Experientiæ Veritate, rei Adminiſtrandæ Dexteritate & Claritate

Eminentiſſimis & maximè conſpicuis

DOMINIS

LIBERALIS LEGATI

SHENCKBECHERIANI

PRÆFECTIS ET EXECUTORIBUS

Digniſſimis, Laudatiſſimis,

Dominis ſuis Gratioſis, Patronis & Mecœnatibus Magnis

Diſputationem hanc Inauguralem Medicam

In

Grati animi Symbolum ulteriorem ſpem Gratiæ & Studiorum ſuorum promotionem

Humillimè inſcribit & offert

SAMUEL GEIDELIN Auth: & Reſpond.

ΣΥΝ ΘΕΩ

PRÆFATIO.

UTerum morborum muliebrium & ſymptomatum cauſam eſſe frequentiſſimam, omnibus ferè notum eſt: Cur vero illud ipſum fiat, paucis conſtat. Videntur autem tres cauſæ eſſe. Prima eſt ipſius ſitus: Hæret enim in loco impuro & ſordido, abdominis ſcilicet aqualiculo, ubi cloaca totius corporis, ante ſe habet veſicam urinariam, à poſteriori parte inteſtinum rectum: Facilè ergò inquinari, conſpurcarique poteſt. Secunda eſt ejus Vſus & Officium, ex quibus præter alios etiam hic unus eſt, ut ſingulis menſibus ſuperfluus ſanguis per ipſum exoneretur, qui non ſemper bonus eſt & ſola quantitate peccat, ſed interdum etiam qualitate noxia ob vitioſam ſcil. viſcerum diſpoſitionem & intemperiem confirmatam, moramve in corpore diuturniorem: Hinc enim eum aliquid damni accipere poſſe probabile eſt. Tertia, eſt mirabilis ejus cum omnibus ferè totius corporis partibus conſenſus, etſi non ſemper per ductus manifeſtos, per meatus tamen abditos & poros, viasque cæcas, ſoli naturæ cognitas, nobis verò imperſcrutabiles, nec ab ullo hactenus Anatomico quantumvis exercitatiſſimo demonſtratas. Cum cerebro enim conſpirat per nervos & membranas ſpinalis medullæ: Hinc functionum animalium motivarum ſenſitivarum & principum vitia multa proveniunt, de quibus Hipp. lib. de morb. mulier. Roderic. à Caſtro, Sennert. aliique Practici multi ſcripſerunt. Cum Corde per arterias ſpermaticas & hypogaſtricas: Inde ſyncope, palpitatio, pulſus privatio &c. Cum mammis, quem conſenſum frequentes humorū ab utero ad mammas & ex his ad uterum vice verſâ translationes, tubercula quoque, durities & dira carcinomata ſatis confirmant,

 Cum

Cum hepate, *ita enim cachexia & hydrops ſæpe inducuntur.* *Cum* ventriculo & renibus, *quam κοινωνίαν ex gravidarum pariter & virginum, dum menſtrua patiuntur, ſymptomatibus videre licet: ipſis enim adſunt vomitiones, morſus ventriculi, pica, dolores lumborum, tormina, aliaque plura.* *Cum* veſica & inteſtino recto, *utero enim inflãmato juxta* aphor. 58 ſect. 5. *Teneſmus & ſtranguria excitantur. Cum* partibus præterea multis, *uti interdũ ex admiranda menſium per loca aliena & inſolita excluſione & myriadibus morborum in ſexu muliebri eluceſcit; adeò, ut* effatum ſummi noſtri Dictatoris Hippocratis in lib. de locis in hom. *quatenus commodè explicetur, Uterum ſcil. morborum muliebrium omnium cauſam eſſe, admitti poſſit. Videmus hoc ex ſola menſtrua purgatione, ſi turbetur, quam gravia enim & numeroſa mala ex ejus retentione oriantur, ex gravidarum morbis & ſymptomatibus deſumi poteſt, quorum omnium ſanguis menſtruus retentus cauſa eſt*, de quarum tamen *ſuppreſſione hic propriè non agemus, ſed de* earum *præcipuè, quibus p. n. & ſine graviditate contingit. Cum igitur affectus hic tanta minetur pericula, morboſque curatu difficiles inducat, dignum eſſe duximus, ut de eo aliquid exararemus, quo ejus naturam* ſecundum fontes à Gal. 1. de rat. vict. acut. t. 3. *nobis propoſitos inveſtigemus, præſertim cum nuper à Magnifico & Ampliſſimo Medicorum Senatu poſt examen more ſolito partes diſputandi nobis ſint demandatæ, placuit in hoc truculentiſſimo morbi genere debiles & infirmas noſtras vires experiri, ejusque delineationem paucis hiſce pagellis aggredi, & eam Φιλιάτροις exercitio hoc Inaugurali examinandam proponere. Deus Conatibus noſtris adſit, ut ad Divini ſui Nominis gloriam, ſublevationem ægrotantium, meamque utilitatem facere queant!*

THESIS I.

DE *Menſium Suppreſſione ergo acturi* ὀνοματολογίαν *juxta uſitatam methodum paucis præmittemus, niſi enim quid nomen ſibi velit, quidque Rei nominibus exprimatur, probe intellexerimus, facile fieri poſſet, ut in rei tractatione hæreremus, vel difficultatem aliquam incurreremus: Ratio eſt, quia nomina ſunt rerum* σύμβολα καὶ δηλώματα, *ſigna & declarationes, unde illud* Subtilitatem Magiſtri Scaligeri exercit. 1. *oportet prius vocis ipſius uſum cognoſcere, à quo in rei perceptionem provehimur; Poſtea de* πραγματολογία *& re ipſa agemus.*

II. *Ad hæc autem expedienda* definitionem nominalem *affectus noſtri propoſiti, quæ in ſe* ἐτυμολογίαν, συνωνυμίαν *&* ὁμωνυμίαν *continet, præmittemus, deinde* ad realem *nos accingemus.*

III. Ἐτυμολογίαν *quod ſpectat, ſciendum, quod ſuppreſſio menſium à Græcis dicatur,* ἐπίσχεσις καὶ ἐποχὴ τῶν καταμηνίων *vel* ἐμμήνων, *à verbo* ἐπέχω *vel* ἐπίσχω, *inhibeo, retroago, reprimo:* Καταμήνια *autem ſeu* ἔμμηνα *à nomine* μὴν, ὀς, *menſis, quia ſingulis menſibus mulieribus conceptui aptis fluxus hic obtingat,* ἐπίσχεσις *latine dicitur inhibitio, repreſſio, retentio, vel ſuppreſſio, germanicè,* ein Vertruckung/ Verſchlagung/ ein Außbleibung. Ἐτυμολογία.

IV. Συνώνυμα *ſunt ſatis multa:* Vocantur Flores, *& quidem ideò, quia ſicuti flores fructus præcedunt, nec arbores pleræque fructum ferunt, niſi prius floruerint, ſic etiam mulieres non concipiunt, niſi menſes prius fluxerint, licet hoc non ſemper verum ſit:* Exempla enim à Guainerio cap. 2. de ægritud. matricar. Rondeletio in morb. curand. morb. cap. 24. Trincavellio lib. 10. cap. 3. de arte curand. part. affect. human. corp. Jouberto in populor. errat. lib. 2. Marcello Donato de hiſtoria med. Συνωνυμία.

mirab. lib. 4. cap. 23. Guilelm. Fabricio cent. 5. obſerv. 41. & aliis Authoribus fide dignis notata docent, *multas concepiſſe & peperiſſe, quibus menſes nunquam fluxerunt.* Malæ ſeptimanæ *quoque dicuntur, quod per integram ſeptimanam mulieribus quibusdam moleſtiam inferant.* Tempora item, *quia ſtatis & certis temporibus prodeunt, redeuntque.* Virus Lunare *ab Ovidio, quia is, (quanquam falsò) credidit, omne menſtruum eſſe malignum & venenatum.* Virginalia item & muliebria ſacra; *germ:* die Monatliche Zeit oder Reinigung.

ὁμωνυμία. V. Ὁμωνυμία *terminorum etiam eſt eruenda: Aliter enim Menſis vocabulum uſurpatur à Philoſophis, aliter à Medicis:* Communiter denotat *duodecuplam partem anni, qui vero annus rurſus variè diſtinguitur, uti apud Piccolominæum* in ſcient. natur. l. 2. de affect. comm. c. 20. *videndum eſt:* Deinde Medicis accipitur *pro eo excremento, quod ſingulis menſibus per uterum naturæ ordinario motu rejicitur, quæ ſignificatio hujus loci eſt.* Ἐπίσχεσις *ſuppreſsio etiam dupliciter accipitur.* 1. Latè & in ſignificatione *generali pro quacunque ſanguinis retentione & ſuppreſsione, quacunque etiam ex parte fluxerit, eaque præcipuè diuturniore, ſive ſcil. per nares venas hæmorrhoidales, &c. facta ſit.* 2. Strictè & ſpecialiter pro ea, *quæ ab utero provenit, eaque vel* naturaliter, *ratione ætatis, lactationis, &c. quæ corpori nullam moleſtiam & damnum affert:* Deinde pro ea, quæ accidit ob uterum p. n. *& ſine imprægnatione, unde graviſsimi interdum morbi oriuntur, de qua nobis jam agere propoſuimus.*

VI. *His jam præcognitis & breviter penſitatâ affectus noſtri* ὀνοματολογίᾳ *proximum eſt, ut ad* πραγματολογίαν *progrediamur, in qua etiam, ut eò facilius fiat,* definitionem realem, partem affectam, cauſas, differentias, ſigna, & tandem etiam curationem trademus.

VII.

VII. *Definitio à varijs variè datur, nos ſequentem* Definitio.
rmamus: Suppreſſio menſium eſt ſanguinis menſtrui
n fœminis juſtæ ætatis citra imprægnationem & lacta-
ionem abolita excretio, à facultatis expultricis læſione
jusve fruſtratione proveniens.

VIII. *Dicimus eſſe* excretionem abolitam, *ut pa-
eſiat, ad quod morbi genus ſit referenda, ſcilicet ad ſympto-
nata primi generis, actionis læſæ; Referri tamen etiam poteſt,
iti apud* Gal. l. 3. de ſympt. cauſ. cap. 4. *videndum, ad
ſymptomata tertij generis, quæ ſunt Excretorum & Reten-
torum: Ex naturæ enim præſcripto fœminis idoneæ & juſtæ
ætatis ſanguis ſuperfluus menſtruo ſpatio commode & ſine
letrimento per uterum excerni debet.*

IX. Poſuimus in fœminis juſtæ ætatis, *ad ſignifi-
andum, non omnem ætatem huic fluxui obnoxiam eſſe, nec
mnes etiam malè affici, & tot tantisque morbis vexari, qui-
us menſtrua non fluunt*: Puellis enim & juvenculis *infra
nnum* 12. 13. & 14. *adhuc conſtitutis plerumque non fluunt,
& citra noxam ſupprimuntur, idque ideo, quia omnis ea-
um ſanguis ad nutritionem & augmentationem eſt neceſſa-
ius, adeoque à natura ad uſum aliquem adhibetur: Addunt
nonnulli etiam venarum anguſtiam, quæ ſuo modo quoque
oncedi poteſt. Accidit autem interdum, ut in virginibus
uibusdam tardius proveniant, fluxusque hic demum anno
ætatis* 18. *vel* 19. *ob corporis conſtitutionem aliquam ſingu-
arem incipiat.* Rarum exemplum *eſt, quod* Tulpius l. 3.
bſervat. cap. 36. *de puella aliqua quadrima habet, cui hic
luxus contigit.* Hercules Saxonia *teſtatur etiam ſe vidiſſe
Venetijs puellam quintum annum agentem, quæ ſingulis
nenſibus modicè expurgata erat.* Similia adhuc quædam
Celeberr. Sennert. lib. 4. prax. part. 2. ſect. 2. cap. 2. re-
cenſet.

X. In vetulis *etiam hic fluxus ceſſat & ſubſiſtit, quia
tum*

tum temporis ob caloris paupertatem ſanguis ſuperfluus non amplius generatur, ſed tantus ſolum, quantus ad corporis earum nutritionem requiritur, quo autem tempore hoc fiat, Authores inter ſe non conſentiunt, dum alij circa annum 45. alij 50. quidam 55. demum fieri aſſeverant. Nonnulli, inter quos Petræus in Noſologia Harmonica Tom. 2. diſp. 43. *ulterius adhuc in quibusdam protrahi volunt. Nos certum & determinatum tempus non poſſe dici ſtatuimus, idque ob temperamentorum, regionum, vitæ generis, &c. diverſitatem. Recenſentur quidem exempla ab obſervationum ſcriptoribus, ſed talia, quæ raro & non niſi in pauciſſimis viſa ſunt, uti apud* Solenandrum in Conſiliis *habetur de quadam annum* 101. *agente, cui menſes adhuc cum magno ſanitatis commodo fluxerunt.* Quilelm. Fabricius cent. 2. obſerv. 61. *de ſeptuagenaria octava quadam & rurſus* cent. 4. obſ. 63. *de ſeptuagenaria tertia exemplum tradit.*

XI. Citra imprægnationem & lactationem. *Notum enim eſt, gravidis & lactantibus menſtrua plerumque ſupprimi, pars enim illorum in illis cedit in conſtitionem partium ipſius fœtus, pars in ejus nutritionem, in his vero pro materia lactis, ut infans in lucem jam editus inde ſuam habeat alimoniam:* Plerumque, *diximus, dantur ſiquidem aliquando gravidæ & lactantes, quibus menſtruum non retinetur, ſed adhuc per menſes geſtationis priores fluit, ſuntque hæ illæ, quæ ſucculentæ admodum & plethoricæ, in quibus major ſanguinis copia ob laudabilem partium nutritioni inſervientium conſtitutionem & pleniorem victum generatur, quam ad nutritionem tum corporis proprij, tum ipſius fœtus augmentationem & nutritionem requiritur: Imo, quod majori admiratione dignum, per totum geſtationis tempus ſine noxa fluxiſſe annotavit* Columbus in antom. l. 2. *hocq; in illis fieri dicit, quæ adeo plethoricæ ſunt, ut niſi fluxus hic continuetur, vel vena aliqua ſecetur, ſuffocationis fœtus vel abortus periculum immineat.*

XII.

XII. De via autem, *per quam hic fluxus fiat, inter Authores maximè diſceptatur, & quia uterus ab Anatomicis dividitur in cervicem & fundum, alij per cervicis, nonnulli per fundi venas fluere contendunt*, *ut videre licet* apud Nobiliſs. & Experientiſs. Dn. Doct. Melch. Sebiz. Patronum & Præceptorem noſtrum Devenerandum in exercitat. medic. 39. quæſt. 2. *ubi rationes, quas pro ſtabilienda ſua ſententia quique afferunt, examinantur. Nos cum* Venerando noſtro Sene *arbitramur, gravidas, ſi menſium fluxum patiantur per venas Cervicis inaniri, ipſarum enim uterus eſt occluſus, nec facilè à natura recluditur, utpote quæ magnopere de ſobolis conſervatione & propagatione eſt ſollicita.*

XIII. In calidioris ſiccioriſque complexionis fœminis *ut plurimum etiam menſes non fluunt, quales ſunt viragines, item quæ in frequentibus & validis laboribus atque exercitijs verſantur; ut ſunt mulieres ruſticanæ aut ſaltatrices, quas vel omnino non, vel parum ſaltem purgari conſtat. Siccæ enim hæ ſunt in partibus hymenæo ſacris, & quidquid ſanguinis in illis eſt ſuperfluum, illud calor, ſudor & exercitiorum atque laborum vehementia & aſſiduitas abſumunt.*

XIV. Pingues admodum & obeſæ *ſuppreſſionem etiam non rarò patiuntur, hæ namque præ cæteris exangues magis ſunt, quia major pars ſanguinis in pinguedinem abit, minores etiam & anguſtiores venas habent, per quas menſtruus ſanguis difficulter fertur:* Macræ *item & graciles admodum, quæque ob morbos chronicos aut acutos extenuatæ, rarò purgantur ob materiæ defectum. Cum enim nihil ſanguinis in ipſis ſit ſuperfluum, nihil etiam excerni poteſt.*

XV. *Cæterum ſicut à natura corporis architectrice in ipſo ſtatim principio ſumma quadam & admirabili arte*

facultates quædam certæ partibus corporis noſtri inditæ ſunt, ut familiaria & amica ſibi attrahere, attracta retinere, & concoquere, concocta ſequeſtrare, aſſimilare & ſuperflua atque inimica expellere poſſint, hisque bene conſtitutis officio ſuo probè fungi & ſervari ad certum tempus ſuum creata animantia poſſunt, læſis verò eadem bene valere nequeunt, ortus affectus noſtri pateſit, quando nimirum facultas uteri expultrix læditur vel fruſtratur, quâ de re, cur & quomodo fiat, & quomodo intelligendum ſit, multa dici poſſent, niſi brevitatis ſtudio in αἰτιολογίαν differremus, θ. 21. ubi rationes hujus dicti dabuntur & exponentur.

XVI. Subjectum *in hoc affectu duplex conſtituimus, unum* Primarium *& Principale, alterum verò* Secundarium: Prius eſt *μήτρα, uterus, alias etiam ὑστέρα, viſcerum quaſi poſtremum dictus, non quod ultimus ſit ratione generationis, ſed διὰ τὸ ἐσχάτην κεῖσθαι τῶν σπλάγχνων, ut* Laurentius *loquitur, quia ſitu viſcerum eſt ultimus, vel quia ex viſceribus poſtremus ſuo officio fungitur;* Poſterius *poſſunt eſſe in corpore partes variæ, ut ſequentes theſes docebunt: Afficitur autem uterus modò per ἰδιοπάθειαν, modo per συμπάθειαν.*

Pars affecta.

XVII. *Per ἰδιοπάθειαν accidit, quando morbi intemperiei conformationisve adſunt, idque ſubſtantiæ propriæ vel vaſorum ratione, aut ſi ſoluta ejus fuerit unitas, interdum excreſcentia quædam carnis in ipſo, vel cicatrix ex ulcere vel vulnere aliquo derelicta, aliaque plura malum hoc cauſantur, ut ex enumeratione cauſarum pateſiet.*

XVIII. *Per συμπάθειαν verò &* conſenſum *afficitur, ſi partes aliæ in corpore ſiniſtrè diſpoſitæ malo anſam præbuerunt, e. g. Cor, hepar, lien, ventriculus &c. quatenus videlicet ſanguis non generatur, vel licet generetur, ad uterum tamen non feratur, ſed alio rapiatur. Tribus enim*

enim modis potiſſimum affectus per conſenſum excitari poſſunt. 1. Cum pars aliqua materiam aliunde excipit, e.g. ſi caput ab elevatis vaporibus è ventriculo, utero, inteſtinis &c. dolet. 2. Quando ſpiritus animæ actionibus inſtrumenta neceſſaria influere prohibentur, e. g. ſi contusâ vel compreſſâ ſpinâ aut vertebris manus ſive crus paralyſi corripiuntur. Tertio, ſi materia ad actionem neceſſaria denegatur: quali ultimo modo etiam hunc noſtrum affectum oriri poſſe conſtat: Denegatâ enim materiâ fluxus fieri nequit.

XIX. *Licet de cauſis affectus hujus diſſerere intricata & ſpinoſa res videatur, idque tum ob earum multitudinem & diverſitatem, tum propter Authorum quorundam diſcrepantiam, faciemus tamen διχοτομίαν & omnes cauſas dividemus in* Externas & internas, Externas rurſus in Neceſſariò & non Neceſſariò alterantes, Internas autem in Proximas & Remotas. *Cauſæ.*

XX. Interna Proxima & Immediata *eſt læſio, aut fruſtratio facultatis expultricis. Patet enim, ad quamlibet evacuationem tria requiri.* 1. *movens, quod eſt facultas expultrix calore & ſpiritibus adjuta,* 2. *mobile ſ. materia excernenda, &* 3. *terminum ſ. vias, per quas; quorum unum ſi non rectè ſe habeat, aut deſideretur, vacuatio fæliciter ſequi non poteſt, & quod hoc ita ſe habeat, præter alia multa noſter affectus etiam confirmat, quem facultas uteri expultrix læſa ſæpè cauſatur.*

XXI. *Vbi tamen notandum, quando Medici cum* Gal. l. 3. de ſympt. cauſ. c. 1. *dicunt, lædi actiones læſa facultate, id non ita accipiendum eſſe, quaſi facultates animæ læderentur, quandoquidem hæ ſunt incorruptibiles, animaque ſuas facultates ſalvas, integras, & ad agendum ſemper promptas habet, dummodo inſtrumenta ſint idonea, ſenexque, ut philoſophus ait, videret, uti juvenis, ſi haberet*

oculum juvenis: Sed lædi dicitur actio læsâ facultate, cum inſtrumenta ægrotant, & p. n. affecta ſunt, partisque conſtitutio naturalis læditur, quæ facultatis adæquatum eſt inſtrumentum & quâ vitiatâ anima ſuas actiones exercere nequit. Quod ſi ergò fiat, ut lædatur & vitietur, non per ſe & proprie illud fit, ſed per accidens, ratione ſcilicet organorum.

XXII. *Contra affectus etiam hic oriri poteſt, (licet organa omnibus modis benè ſe habeant, & optimè comparata ſint) verùm propter aliquam, quæ extra conſtitutionem partis hæret, cauſam, cujus gratia facultas in agendo fruſtratur, atque ut finem ſuum aſſequi non poßit, impeditur. Sunt autem cauſæ illæ, quæ actionibus impedimento eſſe ſolent, variæ, & quidem in aliis actionibus aliæ, e.g. objectum, ordo, tempus &c. uti videre eſt apud* Clariſs. Sennert. l. 2. inſtit. part. 3. ſ. 1. c. 2. *Nos hic materiam ſingulis menſibus deturbandam pro cauſa primariò ponimus, nam ſi hæc utero denegetur, quatenus vel non generatur, vel licet generetur, alio tamen feratur, abſumaturve, tunc facultas expultrix otiari cogitur ob fruſtrationem, quia ſi uterus nihil ſuperflui accipit, nihil etiam poteſt excernere.*

XXIII. Interna Remota & Mediata *à Medicis variè proponitur. Nos* cum Heurn. de morb. mulier. c. 1. *& aliis* ad tria *genera reducemus*: ad ſanguinem *videlicet*, vaſa *&* uterum, *cujus ſententiæ Patronum etiam habemus* Hippocratem in l. de nat. mulier; *&* Galenum, *qui ad haſce tres cauſas etiam reſpexêre.*

XXIV. Sanguinem ergo *quod ſpectat, is in cauſa eſſe poteſt, quatenus peccat vel in quantitate, vel in qualitate, vel in motu.*

XXV. Quantitatis ratione *rurſus dupliciter: Vitium enim eſſe poteſt juxta quorundam opinionem, vel in exceſſu, vel in defectu: Defectus ratione rurſus dupliciter.*

XXVI.

XXVI. 1. A calore naturali robuſto nimis & valido, *qui ſuperfluum alimentum omne abſumit & diſsipat, quæ cauſa eſt, cur viragines & aliæ adhuc etiam juſtæ ætatis mulieres menſtruo plerumque deſtituantur: Eadem conditio eſt illarum, quæ validis exercitys, quidquid in ipſis ex partium nutrimento reſultat, diſsipant & abſumunt, ut ſunt ſaltatrices, laboresque alios graves & ruſticanos ſubeuntes, quæ tamen rarò inde læduntur, ſicut etiam ſupra indigitatum. Imprimis huc pertinent illæ, quæ morbis, qui ſanguinem abſumunt, divexantur, cujus generis ſunt febres putridæ, hecticæ, alÿsque morbis diſcrutiatæ, dyſcraſia inſuper calidiore partium* αἱματοποιήσει *deſtinatarum afflictæ.*

XXVII. 2. Deinde à calore debilitato admodum *hæc inopia proficiſci poteſt, qui alimenta ingeſta in ſanguinem convertere non valet ob intemperiem frigidam ſiccamve totius corporis, vel quarundem ſaltem partium, aut propter validam obſtructionem, ſcirrhoſosque tumores jecoris, lienis, in cachexia, hydrope, phthiſi, vitÿs ventriculi, &c.*

XXVIII. In exceſſu *peccare aſſerunt nonnulli, quando tanta ſanguinis abundantia adeſt, ut inde venæ obſtruantur, & naturæ expellentis regimen eludatur: Probant autem ſuum placitum inductione duorum exemplorum, quorum* primum deſumptum eſt à Veſica: *Sicut enim ex hâc urina, ſi ſupra modum inibi aucta & diutius retenta eſt, difficillimè, & in minori quantitate, quam par erat, redditur, quia veſica repleta & diſtenta nimis ad expulſionem conſtringi nequit: Sic etiam ſanguinem ob nimiam copiam, quâ venæ oppilantur & occluduntur, & natura gravatur, eliminari non poſſe ſtatuunt.* Alterum petitum eſt à dolio *vino vel liquore alio repleto, ex quo liquorem uno tantum foramine non fluere affirmant. Verum* licet Clariſſimorum Virorum candida judicia & ſcripta laudatiſſima magni ſint ſemper habenda & amplectenda, hic ta-

men à partibus eorum non ſtabimus, ſed quid pro noſtræ ſententiæ confirmatione reſpondendum ſit, paucis exponemus.

XXIX. *Sanguinem ſola quantitate excedente peccantem.* 1. *Quod ſpectat, non concedimus, eum per ſe ſuppreſſionem cauſari poſſe, ſed contrarium potius ſtatuimus, quia copiâ & plenitudine vaſa diſtenta ſponte ſua hiare ſolent, ideoque non ſupprimi, niſi etiam vitium in qualitate, craſſities ſcil. aut viſciditas conjungantur:* 2. *Quod copia boni ſanguinis naturæ expellenti non obtemperet, negamus, quia, quo major ſanguinis eſt copia, eò etiam vegetior calor (nam tantum habemus caloris, quantum ſanguinis) ubi vegetior calor eſt, ibi facultates corpus regentes & gubernantes, (quibus etiam expultrix annumeratur) meliores, laudabilioresque perficiuntur.*

XXX. *Deinde exemplum ab urinæ eliminatione quod afferunt, infirmum eſt ad ſententiam noſtram refutandam, quia ſunt diverſæ excretiones.* Excretio *namque* menſium eſt actio naturalis, *quoniam in arbitrio patientium ſita non eſt, aut ab earum voluntate dependet, quales actiones etiam ſunt motus cordis & arteriarum, χύλωσις & αἱμάτωσις ventriculi & jecoris, ὁμοίωσις in ſingulis partibus, ſpirituum animalium & vitalium generatio, &c.* Urinæ *autem* excretio eſt actio mixta, *partim enim* eſt animalis, *quia in voluntate noſtra hæret, quam pro placito poſſumus inſtituere, ad tempus aliquod omittere velociorem, crebriorem, tardioremque reddere:* Partim *quoque* eſt naturalis, *quia peragitur beneficio facultatis expultricis & miniſterio fibrarum veſicæ transverſalium, quando veſica ſe contrahit: Præterea menſium excretio nullo adjumento muſculorum indiget, ad urinam autem reddendam non ſolum muſculi abdominis pyramidales, à*

figura

figura ſuâ ſic dicti, requiruntur, ſed & imprimis muſculus ſphincter, qui veſicæ oſtio eſt præfixus.

XXXI. Alterum exemplum de dolio *allatum nihil concludit contra nos, quia, ſi maximè concederemus, nihil aëris inferius propter obſtructionem & infarctum ingredi poſſe, negamus tamen à ſuperioribus partibus organis ſcil. reſpiratoriis eundem non attrahi, & ita toti corpori communicari poſſe. Homo enim nullo non tempore aërem inſpirare cogitur, quia ſine eo nemini conceſſum eſt vivere.*

XXXII. 2. Peccat qualitate, *quando craſſus eſt lentus & viſcoſus, qualis in obſtructionibus jecoris, lienis & menſenterii non rarò generatur, qui frequentiſſimè ſuppreſſionis cauſa deinde exiſtit: Humor enim melancholicus craſſus eſt & terrenus, ac ob id fæx & limus ſanguinis dicitur: Phlegmaticus verò non ſolum frigidus eſt, ſed etiam lentus & tenax, atque glutinoſus: Horum ergo præſentiâ facillimè ſuppreſſionem oriri mirum non eſt. Cauſæ autem externæ dictis humoribus anſam præbentes infrà tradentur.*

XXXIII. 3. Motus damnatur *cum rapitur & convertitur ad alias partes, ſicut accidit in inflammationibus viſcerum interiorum, phrenitide ſcil. peripneumonia angina, pleuritide aut vulneribus inflictis, &c. vel ſi inſtante tempore purgationis lunaris vena alicui in brachio, manu, aliave parte ſuperiore tunditur, uti dantur exempla earum, quæ tempus fluxionis præſens ob verecundiam Φλεβοτόμῳ non indicarunt, & tamen venam ſibi ſecari paſſæ ſunt, ut ita ſanguis, qui jam actu καταῤῥοπος erat, ἀνάῤῥοπος ad ſupernas partes redditus ſit, & ſic ſuppreſſionem menſium & graviſſima inde manantia ſymptomata incurrerint. Simile accidit iis, quæ iisdem jam actu fluentibus excandeſcunt nimis, aut animo conſternantur, ita enim*

fluxum

fluxum ſtatim ceſſaſſe, ipſamque materiam alio translatam eſſe compertum eſt.

XXXIV. Per alia & inſolita loca *menſtruum quandoque evacuatum eſſe, ex variis fide dignorum Authorum obſervationibus manifeſtum eſt*: Sic vomitu *quandoque evacuari præter experientiam authoritas* Hipp. *etiam confirmat* aphor. 32. ſect. 5. & lib. de morb. mulier. *commentatoresque ad hæc loca idipſum teſtantur.* Per urinam *aliquando refert* Braſſavol. cõment. ad aph. 75. ſ. 7. Lachrymarum inſtar per oculos *ſanguineis guttis in virgine quadam ſcribit* Dodon. cap. 15. obſerv. medic. *&* Mercat. de morb. mulier. c. 7. Per eliſi dentis vulnuſculum *teſtatur* Ronſeus de homin. primord. & hyſteric. affect. c. 28. Per mammarum papillas *in duabus nobilibus feminis, altera Luſitanâ, altera Itala obſervarunt* Amatus Luſitanus cent. 2. curat. 21. *&* Paræus l. 23. c 52. Per umbilicum *mulieri cuidam Tridentinæ ſingulis menſibus memorat* Nicolaus Florentinus ſerm. 2. c. 8. Venerandus noſter Senex Sebiz. in ſpec. med. pract. part. 5. ſ. 2. c. 9. *teſtatur, ſibi viſam eſſe aliquam, cui menſes* per fontanellam, *quam in cruris parte internâ geſtabat, fluxerunt.*

XXXV. Vitio vaſorum ſeu viarum, *ſi ſuppreſſio oriatur, tunc anguſtia in cauſa eſt, quæ variis modis rurſus fieri poteſt.*

XXXVI. 1. Propter obſtructionem *ceu cauſam frequentiſſimam, quæ à copioſis craſſis, viſcoſisque humoribus proficiſcitur, ubi enim tales humores in uterinis vicinarumque partium venis deliteſcunt, tunc non ſolum, quatenus ad motum ſunt inepti, ſed etiam ob lentorem, quo venas obſtruunt, menſtrui ſuppreſſi cauſæ exiſtunt.*

XXXVII. 2. Ob Compreſſionem, *quam tumores adjacentium partium & extrinſecus incumbentium cauſantur, v. g. veſicæ & inteſtinorum, præcipuè vero recti inflam-*

matio.

matio, itemque uteri ipſius tumor aut ventris diſtentio ut in ἐνπνευματώσει dictarum partium aut nimiâ adipis copia accidit, quod in pinguibus & obeſis fieri videmus.

XXXVIII. 3. Ob Conſtipationem & contractionem, *quæ non minus à vaſorum quam propriæ uteri ſubſtantiæ condenſatione, duritie, adſtrictione, frigiditate & ſiccitate provenit. Locum etiam hîc habere poteſt illa coangustatio & vaſorum conniventia, quæ medicamentis adſtringentibus comparatur, quibus iſtæ utuntur, quæ virginitatem, quam tamen non habent, venditare volunt: Ab ejusmodi enim medicamentis, adſtringendi & contrahendi vi pollentibus venæ uteri ita contrahuntur, ut affluentem ſanguinem poſtea non admittant.*

XXXIX. 4. Ob coaleſcentiam ſeu conglutinationem, *quæ à carne, vel membrana aliqua vaſis uteri obnata, ut & cicatrice ab ulcere vel vulnere aliquando derelictâ, aut rebus aliis provenit, itemque poſt frequentem abortum, cum venæ, quibus ſecundinæ alligabantur, ita coaleſcunt, ut deinde ſeparari & aperiri nequeant.*

XL. Uteri *denique* vitio *ſupprimuntur ſequentes ob cauſas.*

XLI. Cum intemperatus eſt *& quidem vel frigidus vel calidus nimis. De hoc dubium eſſe poteſt, quomodo menſtrua ſupprimat, cum tamen* Authorib. Galeno lib. 5. ſimpl. c. 27. omnibusque Philoſophis *ſit calidi aperire, rarefacere, attenuare atque diducere, frigidi contra obſtruere, in craſſare, adſtringere, &c. Sed reſponſio facilis eſt: Calidum enim per ſe non ſupprimit menſtrua, ſed ex accidente, abſumendo videlicet diſsipandoque: Humor enim abſumptâ parte tenuiore ſiccior & craſsior evadit, expulſionique ineptior: Deinde etiam humiditate abſumptâ meatus conniventiores fiunt, magisque adſtringuntur, & ſic exitus ſanguini effluxuro non facilè patet. Huc referenda*

etiam illa videtur peculiaris ſuppreſſio, cujus nonnulli Autores mentionem faciunt, aduſtionis videlicet, quando mulieres hyemali anni tempore ad arcendum frigus carbones vivos veſtibus ſubdunt, qui calore ſuo uterum deinde calefaciunt nimis, exurunt, parteſque adjacentes & uterum ipſum exſiccant.

XLII. *Deinde* ob morbos, *quibus aliquando infeſtatur, ut ſunt ejus tumores, apoſtemata, ſcirrhus &c. itemque tortuoſitas, cujus cauſæ etiam* Fernelius *meminit.*

XLIII. *Accedit his* meatus anguſtia, *valida interdum ſuppreſſionis cauſa, eaque vel in ipſo utero adhuc vitio conformationis contracta, vel demum poſt nativitatem; Vitio hoc quæ detinentur, ἄτρητοι, clauſæ, imperforatæ, aut velatæ vocantur, quia uterus earum velo quaſi obductus eſt: Quo termino* Ariſtot. l. 1. hiſt. anim. *ſæpè utitur: Triplicem autem harum ordinem eſſe pro diverſitate loci, Anatomici demonſtrant. Exempla aliquot ſuppreſſionis ob hoc vitium à* Clariſs. Sennert. d. l. *ex* Aquapendente, Benivenio, Cabrolio, Fabricio & Wierio *recenſentur.*

XLIV. *Poſt nativitatem accidit, cum aliquando rima ob vulnus aut ulcus prægreſſum clauditur. Sic tradit* Benivenius de abdit. ſanit. & morb. cauſ. cap. 31. *ſe vidiſſe mulierem, cui morbus Gallicus totam fere eam partem eroſerat, & incuriâ Medicorum, quidquid eroſum erat, oris invicem conjunctis occalluerat, ut urina ex parvo admodum foramine redderetur, menſeſque retinerentur, cum nihilominus materia adeſſet. Simile ferè huic ob aliquod vulnus recenſetur apud* Greg. Horſt. in epiſtol. Medic. ſect. 10.

XLV. *Tendimus* ad Cauſas externas, *quæ ſuperiores jam dictas promovere poſſunt, quarum rurſus duplex ordo exiſtit, quædam enim neceſſario, quædam verò non neceſſariò homines alterant.*

XLVI. Neceſſariò alterantium ſunt numero ſex. 1. *Occurrit* aër, *qui nunquam non etiam nobis invitis ſomni pariter & vigiliarum tempore hauriendus eſt. Duobus vero modis potiſsimum corpora noſtra afficit, quatenus ea vel extrinſecus ambit, & per poros & ſpiracula cutis in illa ſe inſinuat, vel quatenus reſpiratione attrahitur, qui ſi frigidus, craſſus, turbidusque extiterit, venarum orificia conſtringendo, ſanguinis craſsitiem & immobilitatem conciliando, corpusque phlegmaticis humoribus onerando in cauſa erit: Siccus malum efficiet exſiccando humoresq; incraſſando: Calidus nimis adurit & abſumit humores.*

XLVII. Cibus & potus, *quorum non minor eſt neceſsitas, corpora enim ſunt in perpetuo fluore ſemperque diſſolvuntur, & niſi alimento repararetur illud, quod abſumptum eſt, citò perirent, ſed non minor debet eſſe obſervatio aſſumendorum, præcipuè quoad Quantitatem, Qualitatem & Tempus: ſi enim nimia quantitate alimenta aſſumantur, ventriculi calor obruitur, cruditatesq; exurgunt, cibi nondum perfectè cocti è ventriculo in genus venoſum rapiuntur & pelluntur, præprimis ſi aſſumpta craſſæ etiam, glutinoſæ, infrigidantis aut exſiccantis naturæ extiterint, e. g. crebrior lactis & lacticiniorum uſus, aceti item & oryzæ & quorundam leguminum: Pertinent huc etiam fructus crudi, ex quibus non minima ſunt pruna auſtera largâ manu ingeſta: Ejusdem claßis etiam ſunt calefacientia nimis, & aromatibus nimis condita, ſi error in eorum aſſumptione committitur, hepatis enim ſubſtantiam admodum exſiccant & liquorem ſanguinis abſumunt. Ex* potuum *generibus ſunt aquæ frigidæ nimius & intempeſtivus uſus, vina item nigricantia craſſa, cerevíſia recens, nec ſatis adhuc defæcata ingurgitata, quæ omnia non minus quam cibi, matres ſuppreſsionis hujus eſſe poſſunt.*

XLVIII. Motus & quies: *Quorum* is, *ſi jugis, aßiduus*

du us fere & immoderatus fuerit, ſpiritus exhaurit, tenuiores humores diſſipat & abſumit, nihilq; niſi craſſiorem partem fluxui tamen ineptam relinquit: Quies v. *immodica corpus impinguat, calorem torpefacit & obtundit, corpus cruditatibus & ſanguine pituitoſo replet, illudque poſtmodum cum ſpiritibus ad ſenſus, motus, omnesque actiones ignavum reddit.*

XLIX. *De* ſomno & vigiliis, *idem fere judicium ferendum eſt, ſi immodicè & intempeſtivè inſtituantur.* Vigiliæ *enim magnam habent affinitatem cum motu & exercitatione*, ſomnus *verò cum otio & quiete.*

L. Excreta & Retenta, *quæ ſanè validæ & frequentes affectus hujus cauſæ exiſtunt: Malum enim eſt, ſi id excernatur, quod retineri debebat, aut ſi in nimia quantitate aut per inſolita loca educitur, quod vacuari debet. Cenſum priorem ſubeunt nimiæ ſanguinis evacuationes, per os, nares, venas hæmorrhoidales, &c. Ad ſecundam claſſem pertinent inteſtinorum fluxiones diuturniores, dyſenteria, cæliaca, vomitus frequentes, ſudores continui, &c. fluxus urinæ nimius interdum etiam uterum fluxione menſtrua ſpoliat materiam ſubtrahendo alioque convertendo, nec minus rei Venereæ nimius uſus. Non minorem etiam vim habent ea, quæ excernenda eſſent, ſi in corpore retinentur, facile enim putreſcunt, aut calorem obruunt & ſuffocant, atque obſtructiones parere ſolent.*

LI. παθήματα ſeu affectus animi, *quorum tanta in corpore vis eſt & ἐνέργεια, ut* Plato *minimè dicere vereatur, cuncta ferè corporis mala ab animi pathematibus provenire, ſanguinem enim & ſpiritus variè commovendo varios affectus concitare valent, videri poteſt hoc in iratis & animi conſternatione præhenſis, de quibus etiam ſupra dictum eſt: Mærore item & luctu diuturno vexatis, uti viduis interdum accidit, qui etiam cauſa fuit, ut* Phaetuſæ *menſes*

menſes ſuppreßi fuerint, ut ipſa deinde in articulorum dolores inciderit, ejusque corpus virile evaſerit & hirſutum factum fuerit, barbam inſuper produxerit, & vox in aſperam mutata ſit, ut Hippocr. in fine lib. 6. Epidem. *teſtatur.*

LII. *Ex altero* cauſarum externarum *fonte*, quas *ſcil.* facilius ſubterfugere *licet, unde etiam non neceſſario alterantium nomine veniunt, ſunt contuſiones validæ partium præcipuè ſuperiorum: Natura enim hoc in more poſitum habet, ut partibus afflictis ſuppetias ferat, quod dum intendit, accurrit cum ſanguine & ſpiritibus, quali modo facilè ſuppreßio hæc oriri poteſt, quia materia alio rapitur, præcipuè ſi tempus jam inſtet, quod & propter vulnera ſectamve venam, ut ſupra etiam videndum, accidere poteſt. Deinde ſunt medicamenta refrigerandi & incraſſandi adſtringendique vi donata, ſi intempeſtivè & immoderatè aſſumantur, talia enim ſanguinem jam influentem, vel fluxui idoneum in vaſis quaſi congelare & fluxu privare poſſunt; quibus lotio pedum aut intromißio eorum in aquam frigidam annumeranda, uti lotricibus & mulierculis ſervituti deditis interdum contingit, præſertim inſtante jam tempore aut fluxu præſente, ſicuti de talibus* Roderic. à Caſtro lib. 1. p. 2. cap. 3. *teſtatur; Balnea præterea ſiccandi, adſtringendique virtute pollentia, aliaque his ſimilia plura.*

LIII. *Hactenus de Cauſis.* Pergimus jam ad differentias, *quarum rurſus aliquot conſtitui poſſunt.* *Differentiæ.*

LIV. Ratione Generis, *alia ſuppreßio eſt, in qua excretio* in totum eſt ablata *& abolita, dicitur hæc* perfecta, *in alia v. excretio* imminuta eſt *quando ſcil. in minima quantitate & non niſi iniuſto tempore purgantur.*

LV. Ratione Generationis, *alia oritur utero principaliter affecto, nullisque alys affectibus ſuccedit*; alia *verò ob ægritudines alias accidit.*

LVI. Ratione Temporis & durationis atque ſolutionis, *alia* recens *eſt*, *alia verò* inveterata *& antiqua*, *alia* continua, *alia vero* interpolata, *utpote quæ interdum deſinit, ubi per aliquot menſes ordinem ſuum ſervavit, poſtea verò redit & ſanguis per menſes quoſdam retinetur; Alia deinde eſt* πολυχρόνιος, *quæ non ſolum per aliquot menſes, ſed & annos durat, quæque medicamentis appropriatis etiam ægrè expugnari poteſt, ſed plerumque ad mortem terminatur: Alia verò eſt* ὀλιγχρόνιος, *quæ in longum tempus non protrahitur, ſed adhibitis medicamentis ſtatim ceſſat.*

LVII. Ratione cauſarum *quam varia ſit, longa ſeire in earum enumeratione dictum: Alia enim proficiſcitur à vitio ſanguinis, alia verò à vitijs vaſorum, alia denique ab ipſo utero provenit: Aliam externæ, aliam verò internæ cauſæ producunt.*

LVIII. Ratione Adjunctorum, *ſuppreſsio alia eſt* cum, *alia* ſine gravibus ſymptomatibus: *dantur ſiquidem, quæ primo ſtatim menſe atrocia ferre ſymptomata coguntur, quædam vero in veniuntur, quæ tertio, quarto, aliove ſubſequente ea demum ſentiunt.*

Signa. LIX. *Penſitatis differentijs proximum eſt ut* ad Signa *accedamus, quæ vel ſunt* diagnoſtica, *vel* prognoſtica. Diagnoſtica *reſpiciunt vel ipſum affectum, vel dicuntur* παθογνωμονικά, *vel ducunt nos in cognitionem cauſæ, & dicuntur* αἰτιογνωμονικά. Prognoſtica *nobis illud, quid de effectu prædici poſsit, demonſtrant, de his jam ordine agemus.*

LX. Pathognomonicis *multis opus non eſt, patet enim ſpecies affectus ex ægrotantium relatione: Quod ſi tamen fieret, ut nonnullæ menſtrui defectum ob verecundiam Medico fateri nollent, ex ſignis & ſymptomatibus cognoſci poterit. Plurima enim mala ſunt, quæ ex tali ſuppreſsione oriuntur, prout videlicet ad hanc vel illam partem ſanguis*

ruit,

ruit, inibique detinetur, quibus vitium hoc facile cognoſci poteſt, horum etiam aliquot Hippocr. aph. 39. ſect. 5. & aph. 61. ejuſd. ſect. & lib. de morb. mulier. *habet, &* Gal. l. 8. de loc. affect. cap. 5. *multa quoque recenſet; Plurima ſiquidem hyſterica & alia mala tales patientes vexare ſolent, in principio quidem leviora utplurimum, progreſſu v. temporis graviora: Corporis namque gravitas inſolita & laſſitudo ipſis adeſt, comitatur eas horror inæqualis, dolores circa lumbos & uteri regionem, fœdus faciei color, cibi faſtidiũ, debilitas concoctionis, nauſea, ructus, tuſſis &c. Procedente malo conqueruntur de incubo, tumor abdominis oboritur, difficultas reſpirandi, hæmoptyſis, ſyncope, ſtranguria, inſania, melancholia, epilepſia, tumores ſcirrhoſi, cancer, icterus, hydrops, febris iſta alba, quæ virginibus frequens, phthiſis, ἀτροφία, & alia plura, quæ tamen non omnia in omnibus, ſed alia in his, alia in aliȷs obſervantur, ex quibus in affectus cognitionem venire poſſumus.*

LXI. *Sed quoniam mulierculæ ex illicito concubitu imprægnatæ ſeq; pro virginibus venditantes graviditatem, quandoque negare, & ſuppreſſionem menſium ſaltem accuſare ſolent, gravidis quoque & ſuppreſſione menſium laborantibus multa ſigna ſunt communia, Medicus cautus eſſe debet, ne hac in re in conſilium forſan adhibitus decipiatur: Proinde igitur, qua ratione à ſe invicem diſcerni poſſint, diligenter inquirendum: fieri verò poterit ſequentibus præcipuè modis.*

LXII. 1. *Symptomata quæ gravidis in prioribus geſtationis menſibus accidunt, in dies paulatim miteſcunt, contrà verò in ſuppreſſione menſtrui, quo diutius hæc durat, eò magis ſymptomata augentur & cumulantur.* 2. *Gravidæ tam fœdo faciei colore non inquinantur, ſed palleſcunt ſaltem, & in multis color nativus manet: Cum contra ſuppreſſione menſium detentæ fœdo faciei colore ſint & ſqualidæ:*

Gra-

Gravidæ inſuper hilariores ſunt & parum quoad animum mutantur, menſibus ſuppreſsis vero detentæ triſtitia magis afficiuntur. 3. *In gravidis ſitus & motus infantis menſe tertio, quartive principio manu ventri ab obſtetrice ad mota percipitur, certa impragnationis nota: In ſuppreſsione menſium verò tumor quidam modo durus, modo œdematoſus, nec utero reſpondens ſentitur.*

LXIII. Signorum Aithiognomicorum *non minor eſt neceſsitas, ſi non tantum feliciter, ſed & rationabiliter & dogmaticè curare velimus: Curatio enim nititur indicationibus ceu ſolidis fundamentis, hæ verò non à morbo ſolo, ſed etiam à morbi cauſa deſumuntur, & nemo bene medetur, niſi qui bene dignoſcit*, Trallian, lib. 8. cap. 9. *Signa igitur tot erunt, quot ſunt cauſæ.*

LXIV. Sanguinis *autem* vitio in quantitate *ſi ſuppreſsio orta ſit, ex ejus defectu in toto corpore, prægreſſa vitâ, inedia diuturniore, morbis, exercitijs vehementibus, hæmorrhagia & evacuatione aliqua enormi, habitu corporis, venarum exilitate & concidentia quaſi, ægra temperatura, gravi aliquo partium nutritioni inſervientium vitio, &c. cognoſcetur; Eundem verò* ad uterum non ablegari, *licet in corpore præſens ſit, exinde concluditur, quod nulla gravitas circa uterum, nullus tumor aut dolor adſit, aliò verò ferri manifeſte dignoſcitur plerumque, ſiquidem oculis ſæpe ſubjicitur, ſi vel extra corpus feratur, vel in aliquam partem decumbat. Vitium* in qualitate *autem colligitur, tum ex ingeſtorum natura, tum partium concoquentium conſtitutione, alijsque ſignis proprijs: Si enim cibi ingeſti craſsi viſcoſi, difficiliſque digeſtionis fuerint, ventriculus inſuper debilis, hepar quoque intemperatum, ſimiles etiam humores in corpore generari concluditur.*

LXV. A vaſorum *autem* obſtructione *ſuppreſsionem hanc profectam eſſe, cujus cauſæ humores pituitoſi &*

melan-

melancholici, alÿve craſſi, tunc cauſæ tales humores generantes præceſſerunt, corporis quoque conſtitutio & alia hoc docebunt. Si compreſſio *in cauſa erit, ex tumore & notis inflammationem detegentibus, alÿsque multis videbitur: Si* à coaleſcentia, *tunc Vteri affectus præcipue verò ulcera, & vulnera, aut frequens prægreſſus abortus malum manifeſtabunt:* Contractionem & conſtipationem *non melius, niſi ex patientium relatione cognoſcemus.*

LXVI. Uteri *tandem vitia & præſertim intemperies ſicca ſi aderit, totum corpus emaciatum & exſiccatum exiſtet, venæ etiam quodammodo vacuæ apparebunt, cauſæ exſiccantes præceſſerunt. Frigidam verò docebunt flatus, Veneris apperentia minor, & temperatura totius corporis frigidior, prægreſſæ ſunt cauſæ refrigerantes.* Contorſio & meatus anguſtia *ex patientium & obſtetricum relatione deprehendentur.* Cauſas externas, *e. g. aq. frigidæ nimium, potum, aut in eadem lotionē, &c. laborantis confeſſio docebit.*

LXVII. Prognoſtica ſigna *quod ſpectat, experientia quotidiana & ea, quæ in* θ. 60. *dicta ſunt, ſatis confirmant, ſuppreſſionem menſium periculoſum certè malum eſſe, quod &* aph. 57. ſ. 5. *docet.*

LXVIII. *Si menſtruo retento per aliam quandam partem commoda fiat ſanguinis evacuatio, bonum eſt, quod &* aph. 33. ſ. 5. *probat.*

LXIX. *Pro ratione verò cauſarum nunc facilius, nunc difficilius menſes revocantur: Obſtructio curari poteſt, & tantò facilius, quantò malum eſt recentius: Coaleſcentia vix eſt curabilis: Siccitas verò & durities non niſi longo tempore. Compreſſio à ſcirrho vel tumoribus alÿs in & extra uterum hærentibus ſuppreſſionem difficilem curatu reddunt, interdum inſanabilem. Quid de Atrætis ſperandum ſit,* Sennert. d. l. ex Benivenio, Aquapendente & aliis *collegit.*

LXX. *Suppreſſio menſium à vitio nativo quodam vix & difficillimè curatur.*

LXXI. *Licet* Hipp. *ſcribat, ſi menſtruum ſex menſes ſupprimatur, illud non amplius provocari poſſe, & malum fieri incurabile, exempla tamen ab ipſo* Hippocrate & aliis Authoribus *docent, hoc non ita eſſe, & in quibusdam per integrum annum, imò diutius non fluxiſſe, quod tamen recuperatum fuit. Cenſent ergo Authores textum ibi aut corruptum eſſe, aut pro* incurabili *legendum eſſe*, difficilem curatu.

Curatio. LXXII. *Reſtat adhuc ultima pars tractationis hujus, ſcil.* θεράπεια, Curatio, *quam paucis abſolvemus, quia ob cauſarum multitudinem in longum aliàs excurreret: Cum autem omnis Curatio* ab indicationibus *deſumenda eſt, videtur, eam huic affectui propriè & ex ſua naturâ non debere, quia eſt ſymptoma: Cujus enim nulla eſt indicatio, ejus quoque nulla eſt curatio*, teſte Gal. l. 12. m. m. c. 1. *ratio, quia ſymptomata morbis, à quibus dependent, ſublatis, ſponte ſua evaneſcunt, non ſecus ac umbra corpore ſublato diſparere ſolet. Nulla igitur indicatio curatoria ab hoc affectu ducitur; quia hæc debetur morbo*, ſed curatoria *eatenus, quatenus interdum valdè urget & naturam induit cauſæ morbos alios graves & multos generantis: Ex varÿs autem hujus ſuppreſſionis cauſis variæ etiam indicationes oriuntur, pro quarum diverſitate curatio quoque variabit.*

LXXIII. Sanguinis igitur culpâ in quantitate *ſi retentio hæc orta ſit, vitia ejus, quantum fieri poteſt, corrigenda ſunt, usque, ſi deficiat ob alimenti vel defectum vel ineptam qualitatem morboſamque viſcerum diſpoſitionem, aut ſi evacuatus fuerit, abſumptusve, plenius cibandum eſt, & ſubminiſtranda ſunt alimenta* εὔχυμα καὶ εὔπεπτα, *vitia viſcerum peculiari curatione emendentur, fluxiones ſiſtendæ, &c.* In qualitate *ſi vitium hæreat, alteratione opus eſt, craſſus, enim & viſcoſus attenuandus & incidendus eſt, omnique ſtudio annitendum, ut fluxilis reddatur;* Si peccat motu, *in re-*

in rectam & ordinariam viam, quatenus fieri poteſt, reducendus.

LXXIV. Vitio venarum *& quidem ab obſtructione ſi ſuppreßio orta eſt, aperientia & deobſtruentia adhibenda ſunt, quæ humores viſcidos & craſſos incidunt & attenuant, quibus nonnunquam humectantia & emollientia addenda, ſi ſiccitas conjungatur, Quando comprimuntur à tumoribus partium præternaturalibus, curatio eò dirigenda eſt; Contractio & conſtipatio tolletur laxantibus & emolliendi vi donatis; Coaleſcentia & conglutinatio malum plerumque incurabile reddunt.*

LXXV. Uteri intemperies *contrarijs alteranda: ſi ſanguinem ob ſubſtantiæ ſuæ & venarum exſiccationem & denſitatem non recipit, tunc ſi poßibile eſt, humectetur aut attenuetur. Morbi continui ſolutionis ſingularem curationem poſtulant, quæ prolixè habetur apud Practicos; Vitia malæ conformationis vix ſanabuntur; Meatus anguſtiâ afflictæ quomodo tractandæ ſint, citata ſuperius loca docebunt.*

LXXVI. *Externæ res tam neceſſariò quam non neceſſariò alterantes, removeantur & vitentur, & in omnibus contrarietati ſtudendum, quia ejus beneficio curatio perficitur, teſte* Hipp. *præter alia etiam* aph. 22. ſ. 2.

LXXVII. *Hæc verò ut feliciter conſequamur, triplici inſtrumentorum genere opus habemus, ſcil.* diætetico, pharmaceutico & chirurgico.

LXXVIII. Ex Chirurgicis, *primas tenere videtur* Venæſectio, *quæ convenit in omni conſtitutione plethorica, quando ſcil. ſanguis peccat, idque vel in toto, vel in parte ſaltem affecta: plerumque enim poſt ſuppreßionem menſium ſanguis in corpore cumulatur, & plethora ſubſequitur, quæ lenitivo purgante præmiſſo, primisque vijs mundatis ſtatim minuenda eſt per apertam venam: Imò etiam aliàs, quamvis nulla plethora adſit, modò non ex ſanguinis defe-*

ctu ſuppreſſio orta ſit, vena tamen ſecari poteſt, ut ſanguis, qui ſingulis menſibus in corpore ſubſiſtit, & in venis hæret, aliove interdum tendit, ad uterum revocetur.

LXXIX. De loco *autem, ubi ſit vena tundenda, ut & de tempore, Authores variant, dum alij in brachio, alij verò in pedibus ſecandam ſuadent, nonnulli jam inſtante tempore purgationis lunaris, quidam verò diu ante illud: Vt autem de utroque certi eſſe poſſimus, conſiderandus eſt ſanguis ratione quantitatis, & loci, in quo detinetur; Si enim in toto abundabit corpore, vena aperienda videtur in brachio, diu ante purgationis tempus, aut in media menſis periodo, ut ita imminuto ſanguine commodius & minore cum periculo reliquus ad uterum attrahi & perduci poſſit venâ quadam in parte inferiori deinceps ſectâ, harum enim inciſio paulo ante menſium tempus, vel iiſdem jam inſtantibus illarum ſectionem ſequi debet.*

LXXX. *Quod ſi verò tanta plethora non adſit, quæ partibus moleſtiam creare valeat, ad inferiorum venarum apertionem præmiſſis præmittendis ſtatim accedere licet. Venarum vero, quæ in hoc affectu inferius ſecantur, præcipue commendatur* Saphena, *germ.* die Roſen Ader; *de qua præter* Gal. *& alios* Joh. Riol. meth. med. gener. part. 2. cap. 4. *ita loquitur*, vena quædam eſt in interiori parte malleoli, & hinc ſaphenæ nomen ipſi datum, quæ præ ceteris utero male affecto & menſibus ſuppreſſis ſecta quam maximè prodeſt; *licet autem & alias aperire.*

LXXXI. *Quantum autem evacuandum ſit, temperamentum & vires aliæque circumſtantiæ docebunt: In noſtris regionibus fœminæ tantam ſibi copiam detrahi vix patiuntur, uti* Galen. *&* Aeginet. *fecerunt, nec conſultum etiam eſt id tentare, ſed præſtat pluribus vicibus id agere & venæ ſectionem ſæpius repetere, quam vires hoc modo adeò frangere, quarum ſemper eſt maxima habenda ratio.*

LXXXII. *Venæſectioni ſuccedit* Scarificatio, *ubi vires, αἱμοφοβία & aliæ cauſæ in ſubjectis quibusdam eam diſſuadent: Admovendæ autem ſunt cucurbitulæ partibus inferioribus, & quidem modo cùm, modo ſinè ſcarificatione, quod & ligaturæ & frictiones ſuo modo præſtabunt, ſi diebus aliquot ante ſolitum evacuationis tempus inſtituuntur, tunc enim naturam adjuvabimus, quæ hoc ipſo tempore ſanguinis motum inſtituit: Hæmorrhoidum apertio, ut & cauteria & fonticuli ad menſes movendos non videntur omninò tuti eſſe, quia ex Authorum obſervationibus compertum habetur, quod hæc præſidia ſanguini ad uterum jam fluxuro aliã viam monſtraverint, & inclinationem ejus ad illum prohibuerint. Hirudinum applicatio ad crura in noſtris regionibus variỹs de cauſis non eſt uſitata, propterea Medici ejus loco ſcarificationem aut Venæſectionem adminiſtrandam cenſent.*

LXXXIII. *Ex altero Curationis fonte,* pharmaceutico *ſcilicet hauriuntur* medicamenta, *quæ variant pro cauſarum varietate.*

LXXXIV. *Primò igitur, quia vitioſi humores abundant, lenientia adhibenda ſunt, quorum beneficio iſti minuentur, & ita, quia plerumque frigidi, craſſi, & terreni ſunt, atque crudi, facilius poſtea incidantur, atque fluxui aptiores evadant, præparandi enim ſunt ante eductionem, quod* Hipp. *etiam* aph. 9. ſ. 2. *præcipit: Humoribus ita præparatis & viỹs reſeratis ad evacuantia, deinde ad menſes moventia deſcendendum eſt.*

LXXXV. *Lenientium & minorantium ingens farrago in officinis tam ſimplicium quam compoſitorum extat, parantur autem communiter ex* Caſs. Mann. Tamarind. &c. Syr. Man. Viol. roſ. ſol. ſimpl. diaperſic. Decoct. commun. lenit. fol. Sen. Electuar. lenit. Diacaſs. cum Mann. caſs. extract. diaprun. lenit. Elect. lenitiv. cum Mann. &c. *His ſuccedant præparantia & concoquentia, quæ incidendi & attenuandi vi valent, ut ita juxta* aph. 22. ſ. 1. Concocta non cruda medicamento purgante educamus.

LXXXVI. *Pituitoſos humores ex ſimplicibus præparantia ſunt*

Rad. *Aſparag. Ruſc. Fœnic. Ononid. apij, eryng.* Fol. *abſinth. Chamædr. Agrimon. card. benedict. capill. ♀is, meliſſ. ſalv.* Flor. *Centaur. min. calend. matricar.* Semin. *Aniſi, fœnicul. dauc. leviſtic.*

Melancholici ſi peccant, adduntur, *bugloſſ. borrag. fumar. ſcolopend. ling. cerv.* Cortic. *cappar. fraxin. tamariſc. &c.*

Pro humoribus calidis *ſunt aperientia ex ſimplicibus frigid.* Rad. *Cichor. gramin. chondrill.* Folia *cichor. endiv. chondrill. hepatic. &c.* Semina *Melon. cucumer. cucurbit. endiv. ſcariol. &c.*

Compoſita & arte facta *aperientia & phlegmaticos humores attenuantia ſunt* Aq. apij, *fœnic. Agrim. ononid. betonic. chamædr. &c.* Syrup. *e. 2. & 5. radic. capill. ♀is, Byzantin. ſ. & c. de abſinth. card. bened. betonic.* Conſerv. *flor. capill. ♀is, meliſſ. ſalv.* Trochiſc. *de abſinth. de Aniſ. Meſuæ.*

Pro melancholico adduntur ſyrup. *de ſcolopendr. de fumar. de epithym. nymph. &c. ſi ſimul humectandi animus.* Conſerv. *cochlear. fumar. fl. borrag. bugloſs. viol. malv.* Condit. *rad. eryng. helen. lact. & caulium.* Species *dialacc. diacurcum. diatragac. frig &c.*

Aperientia frigidæ *ſunt Aq. endiv. cichor. gramin. taraxacon. &c.* Syrup. *Endiv. cichor. oxyſacch. comp.* Conſerv. *flor. cichor.* Condit. *rad cichorij.*

Quibus ſemper licitum eſt addere medicamenta ex tart. vitr. & ♂te *parata, e. g.* cremor & cryſtall. tart. tartar. Vitr. Spirit. tart. & Vitr. Tinctur. ♂tis, Crocus ♂tis apertiv. &c. *magna vi aperiendi donata.*

LXXXVII. *Præparatis hoc modo humoribus vijsque apertis* purgandum *eſt, quod commode præſtabitur* Rhabarb. Scammon. Mechoac. Turpeth. Agaric. Sena. &c. & ex his compoſitis, *e. g.* Syrup. roſ. *ſolut. comp. ſplenetic. laxativ. de Agaric. fol. ſen. de carthamo.* Electuar. *ex ſucc. roſar. Elect. roſat. Meſ. diacydon. laxat. Diaſen. Nicol. Confect. Hamech. &c.*

Extract. *Rhabarb. ſimpl. & comp. Extract. Aloës, diacitri, Cnicopharmac. Agaric. fol. ſen. &c.* Pilul. *de rhabarb. de hiera compoſ. Indæ, de fumar. de lapid. Lazuli, de tart. aſſaiereth. fœtid. &c.*

Trochiſc. *de Agaric. Alhandal* Confect. *aniſ. laxativ. pulv. Sen. præparat. In quibus præter alia recommendantur, quæ* aloën, *utpote quæ Anaſtomotica eſt, & venarum orificia aperit, recipiunt.*

LXXXVIII. Vomitiora *videntur omittenda potius, quam imperanda eſſe, niſi magna copia crudorum humorum circa ventri-*

culum

tulum hæreat, qui in venas poſtea delati malum augere poſſent, ubi conveniunt ſem. & ſucc. raph. ſem. urtic. geniſt. naſturt. rapar. rad. aſar. cortex med. nuc. jugland.*&c.* vehementiora ſunt gutt. gamandr. ſal. Vitr. vitriol. alb. vomitiv. Croll. aq. benedict. Ruland. Croc. metall. &c. *quæ tamen omnibus indifferenter non ſunt propinanda, ſed cum cautela pro ſubjecti conditione ſemper procedendum.*

LXXXIX. *Poſtquam igitur ab initio ſtatim vena ſanguinis minuendi cauſa aperta fuit, primæ viæ mundatæ, præparantia deinde & de obſtruentia per tempus aliquot, & hinc purgantia exhibita, diebus 3. aut 4. ante ſolitum alias fluxionis tempus vena in pedibus, ſi vires & aliæ circumſtantiæ conſentiunt, aperienda, vel cucurbitulæ, aliave præſidia, quæ ſanguini motum ad inferiora conciliant, uſurpanda, atque tandem menſes moventia interna & externa adhibenda, quæ ex ſeqnentibus peti poſſunt, tam ſimplicibus quam compoſitis.*

LC. Simplicia quæ menſes pellunt ſunt Rad. *Apij, fœnic. petroſel. ononid. leviſtic. præcipue* autem valent. Rad. Ariſtoloch. long. & rotund. Dictam. cret. leviſtic. aſari, rub. tinct. Ciclamin. bryon. & cucum. agreſt.

Fol. *puleg. meliſſ. roſmarin. calaminth. ſerpill.* artemiſ. ſabin. & mentaſtri. nepet. Flor. *calendul. matricar.* cheiri & chamomillæ *tam Romanæ quam vulgaris.* Semin. *Leviſtic. cumini, ſeſeleos, & leucoij lut.* Aromata omnia, Crocus & cinamom. *imprimis.*

Gummi, *Opopanax*, galban. ſagapen. & myrrha. Ex mineralibus *Borax.* Ab animalibus *Caſtoreum.*

Compoſita ex his *infinita fere in officinis habentur, ut* Aq. *Sabin. nepet. puleg. matricar. meliſſ. calaminth. Ariſtoloch. ſerpill. Cinnamom. artemiſ. ſimpl. & comp. Croc.* Syrup. *de calaminth. de cinamom. de 5. radic. de artemiſ. &c.* Spirit. aniſ. *fœnic. junip. abſinth.* Species diagalang. *diahyſſop. diacinam. pulv. hyſteric. Auguſtan. &c.* Pilul. *de Ariſtoloch. Fernel. de caſtor.* Trochiſc. *de myrrh.* Extract. *Sabin. Croc.* Salia, *ononid. artemiſ.* Fæcul. Aron. *bryon. chalybs. præparat.* Conſerv. *betonic. meliſſ. hyſſop. majoran. roſmarin.* Olea *varia tam decocta quam deſtillata.* Emplaſtra *& unguenta, ut de bacc. laur. cerat. matrical. &c. ex quibus à quovis in medicamentorum compoſitione verſato variæ formulæ concinnari poſſunt ſcil. decocta, tragemata, pulveres, pilulæ, electuaria, balnea, ſuffumigationes, pediluvia, peſſaria, emplaſtra, unguenta, cataplaſmata, mytrenchytæ, &c.*

LCI.

LCI. Ubi tamen notandum eſt, *ne indifferenter omnibus fœminis, quibus menſes non fluunt, adhibeantur, dantur enim, quibus non debent, aut quibus non poſſunt fluere, quales ſunt lactantes, diuturno vel gravi morbo vexatæ, inedia emaciatæ, laborioſæ nimis, &c. quæ cum nullum inde ſentiunt incommodum, nunquam ipſis ſunt proliciendi: quod ſi indè lædantur, cum ſanguis per uterum evacuari & provocari non poßit, per vias alias ducendus, & quidem per intervalla, venæſectione ſcil. purgatione, &c.*

LCII. Virium interea diligens eſt *habenda ſemper ratio, quia facilè à ſymptomatibus ex hoc malo ortis diſſolvuntur & dejiciuntur.*

LCIII. Spiritus autem reſtaurant *viresq; reſtituunt, borrag. bugloß. meliß. mala citria, flor. roriſmar. roſar. viol. nux. indic. & moſchat. ſem citri, &c. ſyr. acetoſ. citr. granat. conſerv. roſ. Vitriolat. flor. citr. confect. alkerm. & ejuſmodi alia plura.*

LCIV. Tertium inſtrumentũ ex fonte diætetico *hauritur:* Per diætam *autem non ſolum cibum & potum intelligunt Medici, ſed omnes ſex res non naturales.*

LCV. Aër *igitur medicamentis reſpondeat, tẽperata caliditate & humiditate, purus ſit & lucidus. Vitandus eſt craſſus, turbidus & nebuloſus.*

LCVI. Cibi ſint *calefacientes & incidentes, bonoq; ſucco præditi, aromatibus modicè conditi,* e. g. Croc. pipere, ſeminib. aniſ. fœnic. *panis ſit bene fermentatus &* cũ ſem. carui. *& modico ſalis paratus; aſſuetis allium, cœpæ, & juſcula petroſelino parata conducunt, ſi malum ab exſiccatione, tunc humectantia,* e. g. paſſul. major & minor. lactuca, &c. *in uſu ſint. Potus ſit vinum tenue* aut medicatũ ex abſinth, card. bened. cuſcut. centaur. minor. capill. ♀is, ſcolopend. cortic. cappar. tamariſc. caryophyll. &c. *paratum,* Cereviſia *item probe defæcata & lupulo ſufficienter condita.*

LCVII. Motus Corporis *ſint moderati: Abſit nimia* quies & inertia: *præſtat tamen aliquandò paulùm excedere in motu.*

LCVIII. Excretorum & Retentorum *ut &* Somni & Vigiliarum *eadem eſt ratio, alvus ſit lubrica & laxa, ſi talis non ſit, arte aperienda.*

LCIX. Animi pathemata, *quantum poßibile, fugienda, quia facilè horum cauſa mulieres hoc ſymptoma incurrere poſſunt. Et tantum de hoc contumaci affectu dixiſſe ſufficiat:* Deo pro larga ſua gratia ſit Laus & Gloria in Æternum.

F I N I S.